Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nobis disceptantibus invenimus optimum esse statutam fidem antiquitus permanere quam etiam prophete et evangelia. nec non et apostoli per ihesum christum dominum nostrum predicasse noscuntur. quod et tu regni protector. tuique salutis auxiliator es. quatinus hanc tenentes custodiamus. et custodientes ad finem usque servemus. Incongruum enim nefariumque videtur. ex hiis que recte iusteque definita sunt aliquid permutare. Idem horum que in nicea communiter cum gloriosissimo constantino patre tuo et imperatore deliberata atque perscripta sunt. quorum doctrina atque sensus discurrit. et predicatus est in omnium hominum auditus et mentes. Hec sola fides arrianam heresim expugnavit et perdidit. Per quam non illa sola sed etiam ille reliquae hereses sunt dampnate. cui vere et addere quicquam incautum incautum est et auferre periculosum. Et siquidem horum alterum fiat. erit inimicis facultas agendi que volunt. Quapropter ursatius et valens quondam participes et concordes arriani dogmatis erant. a nostra sunt communione segregati. quam ut reciperent. cognoscentes delicta quibus peccaverunt. penitentiam atque veniam impetrare poscebant. et rescripta eorum hec ita se habere testantur. per que omnium venia consecuti sunt. Erat enim tempus quo hec gesta noscuntur. quando mediolani synodus celebrata est presentibus rome ecclesie presbiteris. cognoscentes simul etiam post mortem dignissime memorie nominandum constantinum cum omni

integritate et examinatione conscriptam exposuisse fidem. Qui cum ab hac luce baptismate percepto discessisset. et ad premia debite pacis abiisset. incongruum esse iudicamus post illum aliquid novitatis admittere. tantosque sanctos confessores. et martyres. et huius dogmatis conscriptores inventoresque despicere. qui secundum antiquam ecclesie sanctionem per omnia sapuisse noscuntur. Quorum fidem deus in tempore imperii tui transmisit. per dominum nostrum ihesum christum per quem tibi imperium tale accessit. ut etiam nostri orbis terminos possideres. Rursus ergo et infelices isti et sapientia vilissimi presumptione nefaria. impie cogitationis predicatores. semetipsos annuntiaverunt. et veritatis terminum mutare contendunt. Dum enim secundum tuum preceptum concilium iura celebrarent. illi consilium sue fallacie nudaverunt. Nitebantur enim calliditate quadam atque seditione aliquid novitatis inferre. Huiusmodi enim malicie captos invenimus. germanum quendam et auxentium atque gaium heresem [l. facientes] contentionesque moventes. Quorum doctrina una quidem existens universam molam blasphemie [l. blasphemie] transcendere videtur. Qui cum viderent nos neque sue voluntatis esse neque concordes horum que male sapere videbantur. anrio consilio se mutaverunt. ut quasi aliud conscribere viderentur. Erat vero tempus breve quod etiam eorum aperuit voluntates. Sed ut non semper ecclesiastice cause in easdem incurrant concussiones. nam turba atque seditio repetita universa confundit.